



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 86. Mendoza Cæsareus Orator Tridenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI.
A.C. 1545.

§. LXXXVI.

Mendoza Cæsareus Orator Tridenti.

Pallav. l. c. n. 9. Ingrediebantur Tridentum solemini pompa Cardinalis S. Crucis & Montanus, quos solus Cardinalis Madrutius præfatæ urbis Episcopus comitabatur.

Rayn. n. 4. Hi autem plenam noxarum veniam promulgabant omnibus & singulis, qui peccata sua rite sacra exomologesi expiaverint, eoque die, quo Concilium inchoabitur, Cathedram Ecclesiam pie visitaverint. Postea idem hoc templum pro Sessionum loco seligebant, paucis vero post diebus præfati quoque tres Episcopi advenerant, demum vero die vigesima secunda Martii Didacus Hurtado de Mendoza apud Rempublicam Venetam Cæsar's Orator urbem ingressus est amplissima agendi facultate die vigesima Februarii concessa instructus. Hunc Papæ Le-

conditio esset apposita, ut nimirum Legati ex Patrum consensu rem gererent, sublatam postea fuisse Legatis petentibus, qui tanquam noxiūm Pontifici proposuerunt, si a Præsulum arbitrio res ita penderent. Petiere quidem Legati, ut ea conditio deleretur: ac primo Romæ responsum, esse delendam: sed posterioribus literis oppositum perscriptum; cum observatum fuisset, iis illam conceptam verbis, quibus eorum potestas proponendi, dirigendi que minime circumscriberetur, sed solum preferendi sententiam, ac decernendi, qua pro dubio Episcoporum exigebant consensum.

Legati excipiebant, comitantibus eos Sæcul. XVI.
 duntaxat Madrutto Cardinale, tribusque A.C. 1545.
 Episcopis; hi enim soli aderant, cum
 ceteri nondum Tridentum venissent.
 Quarto post die seu vigesima sexta ejus-
 dem mensis in ædibus atque aula Mon-
 tani Cardinalis Mendoza ad Legatorum
 alloquium admittebatur, ubi mandati
 sui literas proferens sermonem habuit,
 in quo præclararam Cæsaris ad celebra-
 dum Concilium voluntatem, nec non e-
 jusdem studium in evocandis ex Hispania
 Episcopis, quos jam in itinere constitutos
 se credere ajebat, commendabat, simul-
 que convocationis præter voluntatem
 præpeditæ moram excusabat, declarans,
 quod Cæsar huic Concilio ipsius interesse
 ardenter desideraret, adversa tamen va-
 letudine, graviumque negotiorum copia
 prohibitus hoc iter aggredi haud posset.
 Postea hæc subjunxit: „Ipsius ego morbo
 „pressus aliquot diebus adventum meum
 „differre fui compulsus.„ His dictis de-
 mandatae facultatis literas prælegi jussit.

Altera die vigesima septima Martii Le-
 gati in præfata aula habitu Conventu
 hæc Cæsareo Oratori in responsis dede-
 runt, quod summam reponerent fiduciam
 in Cæsar's pietate, unde sperarent, quod
 cuncta pro Religionis incremento præsti-
 turus foret.

§. LXXXVII.